

F.k. 63

Z d
732

4 † † †



PROGRAMMA

IN FVNERE

VIRI SVMMÆ REVERENDI

ATQVE EXCELLENTISSIMI,

GEORGII NITSCHII,

ECCLESICIARVM PER DVCATVM

SAXO-GOTHANVM SVPERINTEN-

DENTIS GENERALIS, SACRI SYNE-

DRII ADSESSORIS,

VRBIS GOTHÆ PASTORIS PRIMARI,

ET GYMNASII EPHORI OPTIME

MERITI,

A. MDCCCXXXIII D. XX NOV.

PLACIDE DEFVNCTI

D. XXV. NOV.

HONORIFICO FVNERE ELATI

P. P. IOH. HENR. STVSS,

IOH. HENR. STVSS, G. R.

GOTHÆ, LITERIS REYHERIANIS,





Xstincta sunt cheu! bidui spatio, fato memora-
 bili aequae ac lamentabili, hac in vrbe, DVO ECCLESIAE
 LVMINA, sanctiori igne ardentia, et eruditione, dotibus-
 que admirandis quam maxime lucentia; IOANNES FRAN-
 CASCVS BVDDVS, theologus Ienensis primarius, qui longe
 lateaque in florentissimis academiis cum variae, tum in-
 primis sacratoris doctrinae lucem sparsit, scriptisque im-
 mortalibus inter praecipua orbis eruditi sidera perpetim fulgebit: et GEOR-
 GIVS NITSCHIVS, sacrorum per principatum Saxo-Gothanum antistes,
 meritis, et dignitate summe reuerendus, aurei oris orator, et mytha feruidus,
 vita aequae ac verbo gregi ingenti, vti tantum episcopum, et pastorum gregis
 ephorum decet, praetens. Atrati igitur luctus tenebris inuoluuntur non do-
 mus solum amplissimae, tantis praesidiis, tamque bonis, & pie prouidis parti-
 bus familias orbatae: sed & officium sibi multum caliginis sentit, & funestam
 cathedrae Buddaeanae silentium doler academia Salana, quae magnam celebri-
 tatis suae a patrum conscriptorum excellentia, & ciuium multitudine, partem
 magno huic doctore debet: nec minus Gotha, PRINCIPIS POTENTISSIMI splen-
 dida sedes, & eximia dignationis incolis abundans, ereptum sibi dulce fa-
 cundiae Nitschianae lumen queritur: tum et omnis ordo sacer luctuosum sibi
 praesulis, scientia et virtute eminentis, et propugnatoris sui intrepidi discipu-
 lum moeret: et gymnasium ephori amantissimi, prudentissimique, et docto-
 ris sui grauissimi iacuram deplorat. Et vero iustus omnino hic dolor est,
 quo intelligentes, quanta iungantur funera, quanti ecclesiae angeli ad luci-
 dos nunciorum caelestium choros abierint, non possunt non conturbari, et
 in tristes gemitus erumpere, quod omnibus votis expetita, diuturnior horum
 praesentia gregi laboranti non fuerit concessa, quod periculis fortissimique
 factae militiae duces fuerint subtrahi: quorum abitum, quando et similes
 difficillime reperias, perpendentes cordati temporum aestimatores non sine
 causa animo anguntur, et tristiora ecclesiae fata reformidant. Verum, et con-
 templatione bonorum, quae hinc administris diuinitus nobis contigerunt,
 et spe in prouidentiam benignissimi Numinis collocata, temperandus est lu-
 ctus, et adplaudendum ducibus post certamen strenue confectum, et hostes
 feliciter deuictos a summo rerum moderatore ad triumphum numquam finien-
 dum, et capeffendam perennem gloriae coronam vocatis. Tales autem, qua
 par est, pietate plausus triumphatoribus hinc haud difficulter impertient, qui
 auocato paulisper ab imo a tristi Libitinae adparatu, et flebilibus eorum, qui spe
 sua deiecti iam gemunt, querimoniae, ac pallentium animae exuuiarum lugubri
 spectaculo, illum sibi ante oculos ponent diem, quo e tumulis suis prodire
 iubebit vox supremi iudicis splendore fulgentissimorum siderum induenda, et
 beatorum inferenda choris, quae arcum in aede Augustiniana heic iungit spa-
 tium, corpora heroum in hac ecclesiae militia insignium, GLASSII, GOTTERI,
 TRIBBECHOVII, FERGH, NITSCHII, BVDDEL. Vah! qua tum, ipsis adplau-
 dentibus genis caelestibus, congratulatione, quibus amplexibus, quibus
 osculis se inuicem excipient frares hi, multis nominibus coniunctissimi, ad
 aeterna Domini, cui, eodem animati spiritu, fidelissime seruiuerunt, gaudia
 euocati! Vah! quibus incedent laetitias, quibus exultabunt iubilis, qui duc-
 ces hosce, horumque similes, grauissime exhortantes, et fortissime praein-
 tes, magno, et illecebrarum aequae ac minarum mundi contemto animo
 sunt secuti.

Sed redeundum a plausu ad planctum, vel certe ad officium lugubre, et
 commemorationem, ac repraesentationem aliquam virtutis ex oculis sublatae;
 quae apud eos, qui incolumem non odio, sed amore profecti sunt, tristitia
 vacare non potest. Initia enim et progressus virtutis Nitschianae, diu-
 naeque circa hanc excitandam, fouendam, et sublimi locandam in sede prou-
 identiae vestigia paucis sunt adumbranda. Editus est in lucem GEORGIVS
 NITSCHIVS anno superioris saeculi LXIII, die XII. Martij, Strelitzi, sede Princi-
 pis

pis nobilitate ducatus Megapolitani oppido. Patrem habuit Christophorum
 Nitschium, ciuem honestum, mercatorem, et horologiorum conficiendorum
 artificem; qui officii sui memor, nihil, quod ad legitimam faceret educa-
 tionem, neglexit, sed bellum et excitatum filii ingenium aetate puerili sancti-
 ssimae religionis nostrae elementis, et pietatis aequae ac litterarum tiroci-
 niis in schola patria mature imbuendum curauit. Deinde, orbatus patre,
 cum duodecimum annum ageret noster, aliquot bonarum artium officinas,
 Prenslauiensem, Stralsundensem, et Brandenburgicam veterem pariter, quae
 dicitur, ac nouam, discendi cupidissimus, et industria feliciter progrediente
 nemini secundus, obiit; atque magistris vsus fidelissimis, fauente diuini Nu-
 minis gratia, eum ingenii, ex humanitate poliore, cultum capeffuit, sine
 quo ad palmam, et decus aliquod in studiis adspirare nemo potest. Maturus
 itaque acrobasis academicis, a. MDCLXXXII. Leucoeas petiit Athenas,
 et ex ore clarissimum philosophiae, et sanctioris disciplinae interpretum,
 qui ea tempestate istum florebant, sedulus auditor pendendi, Mercibus eru-
 ditis iam onustus inde a. MDCLXXXIV. Lipiam discessit, et conferentibus
 symbolas huius etiam academiae luminibus, suum sibi eruditionis, potissi-
 mum sacrae, thesaurum magnopere adauxit. Anno sequenti in Salanum
 florentissimam, et postea in almam quoque Iuliam delatus, vbique id egit,
 quod agunt his locis, quibus cor sapit; vbique ex praestantissimorum docto-
 rum institutone, et consuetudine mirifice profecit; apesque imitatus est,
 non remere et incassum hinc inde volitantes, sed ex omnis generis floribus
 fragrantissimis mel purissimum curiose stipantes. Neque diu laruere diuini-
 tus in nostrum collatae, et pia atque indefessa diligentia, prosperisque studio-
 rum successibus cumulatae dotes. Cognitum enim in academia Iulia, et pru-
 dentissimis aestimatoribus ingeniorum ab eruditionis, et eloquentiae sacrae
 documentis insignibus quam maxime probatum, a. MDCLXXXVI. fata traxere
 Guelferbytum, et gregem aedi SS. Trinitatis adscriptum vigili eius curae,
 et pascendi dexteritati commiserunt. Heic vero omnes mystagogi fidelis, at-
 que interpretis oraculorum caelestium exquisite doctri, et sancte facundi, du-
 cisque ad atra strenui impleuit partes, et omnes intendit neruos, vt maxi-
 mam animarum multitudinem Christo lucraretur. Non enim frigida, aut
 perfunctoria, non ad ostentandum ingenium, aut titillandas aures prurien-
 tes, sed ad emollienda, et inflammanda corda vnice comparata fuit ardens
 eius, et pugnans, et vi diuina perrumpens eloquentia. Neque tantum ex
 ambone sacro nunc horrenda legis fulmina in praefractos peccatores derou-
 nuit, nunc sanctis euangelii blanditis pauidas mentes deliniuit, atque ad
 pietatem non fucaram, ex fide vicricae, et amore Dei pullulantem omnes ex-
 stimulauit; sed et priuatis colloquiis, et vitae integerrimae exemplo, et scri-
 ptis bonae frugis plenissimis principis tenebrarum regnum destruere, et plu-
 rima e contrario viua sanctissimo Numini templa exstruere, atque exornare
 fategit. Magnum quoque et mirabile animi caelitus confirmati robur in ad-
 ueris, quibus fideles Christi serui, et fortes athletae carere nequeunt, eo
 loco semper ostendit, nec vocular, aut iras hominum extimuit, aut gratiam
 indignis lenociniis aucupatus est: sed ad normam sanorum verborum recte,
 et efficaciter docendo, et pie viuendo, in gratia Dei, qua par est, immortae
 mentis fiducia et tranquillitate adqueiuit.

Placuit autem summo rerum arbitro spectatam viri virtutem in latius patens
 producere theatrum, et humeris tam firmis manus onus, quale est episcopatus
 amplissimus, imponere. Hinc, cum immortaliter de re sacra merito praefuli, HEN-
 RICO FERGIO, ante hos XXI annos, eodem hoc mense Nouembri, ad sedes beato-
 rum translato, et dominica a festo Trinitatis XXIII. qua noster spiritum Deo
 reddidit, iustis exsequiis cohonestato, par hoc loco quaereretur successor, electus
 est caelestibus auspiciis, et auctoritate SERENISSIMI SAXONIAE DVCCIS, FRIDERICI,
 PATRIS PATRIAE CLEMENTISSIMI, huc euocatus, atque deductus mense No-
 uembri a. MDCCXIX. GEORGIUS NITSCHIVS, et ecclesiarum per vniuersum du-
 catum Gothanum antistes, sacri synedrii senator, vrbis Gothae protomystra, et
 gymnasii doctor primarius, atque ephorus est constitutus. Tot vero, tan-
 tusque muneribus quomodo heic praefuerit, qua fide et sollicitudine ecclesiis,

ERNE-

x 336 2642

Zd 732. FK.

ERNESTINA, et FRIDERICIANA sapientia praeclare constituta, prospexit; quam dulci, quam sonora, quam vehemente, et per corda grassante, nec in labris, sed in corde, et inter preces ardentibus nata facundia frequentissimam populi concionem diuinorum eloquiorum vim explicite docuerit, quanto eandem commouerit opere, et ad arctum ingrediendum trancitem compulerit; quam amantem, et paternam gymnasii, et lubricae aetatis rite insituentiae ac regendae curam gesserit; quam in recto proposito, et pio rerum actu perseverans, sui semper similis fuerit, iuter omnes constar. Nec quisquam magnorum virorum notitia imbutus facile abnuet, si cum insigni quodam, e recentioribus, theologo noster fit comparandus, quod IOANNEM illum LASSENIUM, ab animo heroico, et admirandis sanctae eloquentiae viribus celebratum reuoluisse videatur. Tum et serena humanitate condita grauitas, optimi praesulis, et animus ab omni fastu et ambitione, virisque aliis, quemuis Christi seruum, et multo magis legatum atque praekonem dedecentibus, abhorrens, vitae autem sanctioris, atque in exemplum capiendae studiosissimus, et virtutes aliae, quas in episcopo requirit gentium apostolus, omnibus, qui propius eum norunt, ob oculos versantur, nec poterunt innumereis cum venerabunda recordatione non infixae haerere. Adhaec post fata numquam deerit occasio cupidus cognoscendi expressam imaginem huius tanti theologi, nucleum nucis, et medullam tritici, et medullam osium scrutantis, atque in scriptis suis exhibentis. Siue enim *Myrtan feruidum*, siue *Myrtan in pulpito simplicem* describat, ac former; siue *Praxin mortificationis carnis* doceat; siue *Axiomata sacra* tradat; siue *Alterna Dei in exemplo Davidis* explicet; siue *Orationem, cuius verba Christus nobis praeiunxit, consummatis-simam*, interpreteur; siue *Epistolis theologis* argumenta grauisima pertractet; siue homiliis sacris, cum alia, tum imprimis *discessum fidelium ex hac mortali vita* expendat: vbique rerum pondera, et sententiarum acumina, et infanitorum memorabilium iucunda emblemata liquido et vbererum verbumur fumine aduehatur. Sed reprimo calamum, et laudes tam excellentis praesulis, quas neque haec pagella capit, neque digne enarrare mearum est virium, aliis pleniori ore decantandas relinquo.

Attingenda paucis sunt et fata eiusdem domestica, et inprimis coniugia auspicata. Adduxit enim ipsi prouidentia Numinis tori focias, vitae adiutrices, et leuaminum in laboribus atque aerumnis optimorum conciliaris lectissimas. Harum prima, sed minus diuturna, quae a CIO IO C X CI. in manum eius conuenit, fuit CLARA SOPHIA FINIA, IOANNIS FINEN, senatoris, ac mercatoris Brunsvicensis honestissimi filia. Huic successit a. CIO IO C X G III. altera, CATHARINA MARIA SACERIA, cuius parens, GODOFR. GVIL. SACER I. v. Doctoris, et ducalis aerarii Guelphici advocati ordinarii dignatione fuit conspicuus. Atque ex hac per annos complures, summa concordia exactos, quinque suscepit filias, Superstites, ad paternae pietatis regulam sollicitate educatas, quarum tres *Viris sacri et ciuili ordinis spectatissimis* coniuges iunctae sunt. Ista autem SACERIA fati functa, an, CIO IO CCXIII. duxit IOANNETTAM SCHMIDIAM, IO. IAC. SCHMIDII, Consiliarii intimi Saxo - Hsenacensis filiam. Et haec cito ad meliorem vitam translata, a. CIO IO CCXV. consortem vitae fortunatamque nactus est matronam ornatissimam, ANNAM REGNIAM HEDENIAM, IO. QUIRINO HEDENO Archidiacono Arnstadiensi, et Inspectore *Karo*-Gleichenis parum. Atque haec prudentissima familiae gubernatrix, quae et aetatem mariti ingrauescentem quam optime fuit, et dulce laborum lenimen ei praebuit, iam obitum eius beatum quidem, sed sibi tamen inprimis acerbum luget. Vita autem summe reuerendus praesul noster placide et integris sensibus inter preces et suspiria excessit, animamque seruatori suo dudum commendatam in manus tradidit, d. xx. Nov. circa horam vespertinam x. vehementibus catarrhis, cum febrili aestu coniunctis oppressus, vt annos in hac mortalitate LXVI. menses vixit sacra in provincia prima annos XIX. in altera longe ampliori annos XX. praeclarissime exegit. Ceterum nec dum morbo tenatus, variis modis finem vitae instantem praefaga mente indicauit, et vale ecclesis, superiori aetate lustratis, vbique dixit; proxime vobis antecessit die dominica iam aeger et imbecillis, tamen pro sacris rostris, animo fulciens membra labantia, verba fecit, et tres nouellos verbi diuini ministros consecrauit. Ita corpus tandem fatiscens quod ceteroquin robustum, et dignitatis plenum sortitus erat, animo hospitium diuturnius negavit, hodieque ad requiem suam iustus certimonis tumbae inferetur. Ad obeundas igitur qua decet pietate, tristes haec praesulis, post facta etiam omni veneratione prosequendi, exequias illustris Gymnasii collegae, et alumni humaniter etiam atque etiam inuitantur.

P. F. XXV. NOV. a. CIO IOCC XXV.

MC

F.K. 63

Z d
732

4 † † †



Xincra luit eben! bidit ipno, lino memora-
hii neque ac i. mudi, hac in vide dvo eccliaie
LVINA, luncta ipne ardena et ritione, doctus
LAVIA, luncta ipne ardena et ritione, doctus
LAVIA, luncta ipne ardena et ritione, doctus
LAVIA, luncta ipne ardena et ritione, doctus

PROGRAMMA

IN FVNERE

VIRI SVMME REVERENDI
ATQVE EXCELLENTISSIMI,

GEORGII NITSCHII,

PROFESSORVM PER DVCATVM

ANVM SVPERINTEN-

DERALIS, SACRI SYNE-

DI ADSESSORIS,

CHAE PASTORIS PRIMARI,

NASII EPHORI OPTIME

MERITI,

ELD IDCC XXIX D. XX NOV.

PLACIDE DEFVNCTI

D. XXV. NOV.

ORIFICO FVNERE ELATI

P. P.

ENR. STVSS, G. R.

AE, LITERIS REYHERIANIS,

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

18-11-1878
1878

